



<sup>21</sup>  
B2281

116

O P T I M V S  
S V I I P S I V S M E D I C V S  
**P O D A L Y R I V S ,**

Inter Hymenæos

**V I R I ,**

*Arte medendi longe Excellentissimi ,*

**A N D R E A E  
H E R R M A N N I ,**

Eminentiss. S.R.E. Cardin. Presbyteri,

D.D. EMERICI e Comitibus CSAKY &c. &c.

Architatri, multis nominibus, Dignissimi ,

**S P O N S I ;**

NEC NON ,

*Generosæ , Nobilissimæque*

**V I D U A E ,**

**M A R I A E  
E L I S A B E T H A E ,**

NATAE LEIDENFROSTIAE ,

**S P O N S A E ,**


*Ad d. VI. Idus Januarii , An. Sal. M. DCC. XXVI.*

*temui avena cantatus*

**M E L I B O E O**

Posoniensi.

POSONII , Typis Joannis Pauli Royer , 1726 .



**M**ira cano, media glacies dum stringere bruma  
Cœpitaquas, æstumque suis proscriptis ab Vgris,  
Incaluit frigens PODALYRIUS, atque febrili  
Saucius igne, tulit tacitum sub pectori vulnus :  
Ipse alias cunctis, quos tot, mala nomina, morbi,  
Siue febres gelidæ tenuerunt, siue malignæ,  
Ferre paratus opem, proprios celare calores  
Non potuit, coecis quin saucia pectora flammis  
Proderet, ex vultu clare renitente, quid intus  
Secretum latuit ; nisi, quod penetrare, quid esset,  
An putris sanies, an mollis flamma Diones,  
Non licuit. Multi nimios culpare labores,  
Insomnesque viri noctes, orbasque quiete,  
Cœperunt ; alii hoc, & caussantibus illud.

Quis fuit ante alios veteris sapientia Coi,  
Consilium miseris socii de rebus habebant,

Quid facerent, quisue hic morbus, num lethifer esset ?

Convenere simul : tum, capta sede, *Macbaon* :

Est capitis fatale malum. Non, inquit amicus

*Pbillyrides*, sed pectus hiat ; subfrisit ad ista

*Galenus* : fors bursamagis ? Quid luditis, addit

*Hippocrates*, socii ? quid tempus inani

Colloquio teritis ? medici fors altius ægri

Vestiganda ; febres, auctore Cupidine, nostrum

Collegam vexare puto. Vix talia fatus,

Dum Maia genitus, caelo demissus ab alto,

Infert se septus nebula, mirabile dictu,

Per medios, et adhuc sic consultantibus ipsis,

Instrepit : O miseri, quorum *Podalyrius* æger

Arbitrio, curaque sui contagia morbi

Discutiat ! Non illa graui tam vulnere torpenter,

Quin eadem possit, doctissimus ipse, mederi.

Haud capitis morbos hominis. Sunt suavia cordis

Vlceræ, queis idem fanatici, qui lancinat arcus.

Sunt ignes, quorum flammas Salamandra perennes

Perpetitur, nihiloque magis tractata levatur.

Non

Non eget hic pallens vestro cratere maniplos,  
Cocta que millenis misceri pharmaca vitris.  
Est alius, cuius crateribus ille ruborem  
Imbibat, & quidquid iucundius virit ab intra,  
Grataque feruentis succedit tormenta ventris,  
Diluat. Ille sciens vestri conamina nisus,  
Ridet, ouatque videns, tantos se crimine paruo  
Delusisse viros. Mora ni durare molesta est,  
Mox EPIDAVRIADEM vestrum, quem dicitis ægrum,  
Restituisse sibi vires molimine vili,  
Cernetis. Tali *Cyllenius* ore locutus,  
Mortales visus, medio sermone, reliquit,  
Et procul in tenuem ex oculis evanuit auram.

Necmora, Pannonia varias it fama per vrbes,  
Multiplicique replet populum sermone, mederi  
Transdanubianis sibimet PODALYRIUM in oris,  
Semproniique suas melius restinguere flamas.

Vrb est Hungaria, tercis exculta colonis,  
Sempronium, Auftriacis in finibus, ante paludem  
Peisonis, a priscis olim constructa Latinis,  
Dives agri, pecoris, cultuque celebris Iachi.  
Heic sua flava Ceres, heic Bacchus, confitor vuæ,  
Regna tenet, multasque merum dispensat in oras;  
Heic Silesitæ, Moraui, multique Poloni,  
In commune forum coeunt: heic frigoris artus  
Est recreare, fitimque bonum restinguere diram.

Huc inuitatus venit PODALTRIUS, vrbis  
Præcipi curare volens contagia Mystra.  
Dum loquitur presens, & lecto proximus ægri,  
Ecce venit coniunctus miseri ( seu casus eunti  
Obtulit hanc, seu fata pios moderantur amores,  
Et thalamis Deus auctor adest) non turgida gressu,  
Demissis pudibunda oculis. adspicerat illi  
Blandum aliquod Citheræ fauens; moresque pudicos  
Finxerat Euphrosine. placidi reverentia vultus  
Fecerat inuidiam formæ. Non ille putabat  
Ipsius caussa fortunæ talia summmum  
Præuidisse Deum, donec post fata mariti  
Ex tali casu cœpit recitare secundi  
Augurium genitale thori. Quapropter abillo  
Tempore perpetuo tacite concepta reueluens

Vir-

Virtutum viduæ simula<sup>cra</sup>, redire volebat,  
Et tentare noui thalami noua foedera cautus.  
Successus fortunaiuuat, mellitaque g rati  
Suadaviri, variumque genus prudentis amoris,  
Efficit, vt primum reuerenter vota recuset,  
Sed, post victa viro, mulier consentiat: Ecce!  
Sum TVA, meque TIBI iungam, propriamque dicabo.

It clamor totam populo strepitante per urbem:  
Dignus, qui curas praefet PODALYRIUS ægris!  
Ille suos nouit solus difflare dolores;  
Ille tenet merito proprios doctoris honores.  
At, qui consiliis ipsi succurrere nuper  
Optabant, subito frontem offundente rub ore,  
Agnoscunt semet delulos esse, nec ullum  
Ingeminant alium inter se meliora mereri.

Astego, qui famam PODALYRIUM in, haud scio, qualem  
Ferri mirabar, velut ex requiete resurgens,  
Cerno, quod HERRMANNUS tales accepit honores,  
Cohiuge cum terfa, cui KASTENHOLCIUS olim  
Iunctus erat, magno miseræ dilectus amore.  
Huic ego: TV ne MEVS, tanto celebrarishonore?  
TV ne pios solus nosti curare dolores?  
Solane sex inter res, quæ placuere perito  
*Hippocrati*, fuerit TVA KASTENHOLCIÆ, cuius  
Vitus amore, gelu media transcurrere bruma,  
Depropores? Auibus, MEUS o! felicibus ito!  
Nos quoque trans vastum flumen, fluctusque rigentes  
Danubii, lati sequimur: dum fuseitat ignes  
ELISABETHA TVOS, niueis licet omnia passim.  
Rupibus, & tanto thalami candore notentur:  
Uror, & ipse TVS vicibus, sed dispare flamma,  
Nam mollis Citheræa TIBI; mihi gliscit ab imo  
Pectore Musarum rabies, & talia fatur:  
Viuite felices, & tanta sorte beati,  
Crescite in invidiam fati, differte senectam  
Longius, & seros perdurent oscula in annos.  
Sic faueat Venus, & VESTRO molimine cautus,  
A VOBIS discat melius medicare, Machaon!



Ung VI 4

(x 2743293)

ULB Halle  
006 310 079

3



6017  
6018



**O P T I M V S  
 SVI IPSIVS MEDICVS  
 PODALYRIVS,**  
 Inter Hymenæos  
**V I R I,**  
*Arte medendi longe Excellentissimi,*  
**A N D R E A E  
 H E R R M A N N I ,**  
 Eminentiss. S.R.E. Cardin. Presbyteri,  
 D.D. EMERICI e Comitibus CSAKY &c. &c.  
 Archiatri, multis nominibus, Dignissimi,  
**S P O N S I ;**  
NEC NON,  
*Generofæ, Nobilissimæque*  
**V I D U A E ,**  
**M A R I A E**  
**E L I S A B E T H A E ,**  
 NATÆ LEIDENFROSTIAE,  
**S P O N S A E ,**  
*Ad d. VI. Idus Januarii, An. Sal. M.DCC.XXVI.*  
*tenui avena cantatus*  
**M E L I B O E O**  
Posonienfi.

POSONII, Typis Joannis Pauli Royer, 1726.

